



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 141. Quomodo resignans possit mutare aut revocare consensum vel redire ad Beneficium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**



gnatarius stare transactione vel pactis per resignantem factis, dummodo adsit confirmatio Superioris, *Paris. Rebuff. Leur. q. 256.* Item tenetur solvere debita à resignante contracta pro necessitate Ecclesiæ, *Cap. 1. De solut. ; Quod Rota, Abb. Mandos. Paris.* extendunt etiam ad debita contracta pro illo, qui Ecclesiam possidet, quia ipso indigente censetur indigere Ecclesia, quæ necessitati suorum Ministrorum servit, nisi fortè hæc contraxisset voluntariè. Vide *Leur. q. 257.* Tenetur quoque resignatarius præstare alimenta resignanti in favorem suum, si fortè ipsi desint, uti donatarius tenetur donatori: Videtur etiam teneri præstare resignanti purè, nam additur, *modò resignans aliunde vivere valeat.* Vide *Luca de benef. d. 37. n. 15.* Etiam tenetur purgare attentata ante resignationem à resignante circa beneficium commissa, *Lancell. Paris. Leur. q. 259.* Item spoliolum, cum res transeat cum suo vitio, *Cap. Ex parte, de Testibus, Sarn. Paris. Leur. q. 260.* Si autem resignans aliquid contra se factus est ante resignationem, debet illo stare resignatarius, nisi aliunde prætendat aliud jus, *Paris. Lott. Leur. q. 261.* Sententia autem contra resignantem lata post resignationem non nocet resignatario, quia resignans jam censetur mortuus, *Rota, Paris. Leur. q. 262.*

*Q. 141. Quomodo resignans possit mutare aut revocare consensum, vel redire ad beneficium. R.* 969

§. I. Si quis resignet in favorem plurium, sola resignatio pro primo est valida, licèt posterior esset sub priore Data, uti habet *Reg. 40. Cancell. ;* Et secundus est intrusus, nec præscribit, licèt per triennium possideat, uti voluit multi, vide tamen dicta n. 714. Dicuntque hoc tenere, quamvis pro primo resignasset per procuratorem aut apud Ordinarium, pro secundo autem per seipsum aut apud



Papam, secundum dicenda n. 1041. Item licet primus non fuisset usus resignatione intra duos annos. Attamen secunda valeret, si prima non fuisset admessa, aut si fuisset revocata ante praestitum consensum in Camera vel Cancellaria, aut si jus per primam non fuisset abdicatum à resignante, *Rebuff. Paris. Leur. p. 3. q. 263.*

970 §. II. Resignatio necdum admessa à Superiore revocari potest, licet supplicatio pro admissione jam praesentata sit, *Nav. Bursatt. Paris.*; si autem quis petierit licentiam resignandi & hanc concesserit Superior, cogi posse ad resignandum docent plurimum *Paris.* juxta *Cap. Quidam*, de *Renunc.*, ne illudatur Superiori & quia talis variatio est indecens, quod verum esse fatentur *Laym. & Pirb.*, quando Superior absolutè concessit veniam, aut alicui commisit recipere talem renunciationem, si ipsi videatur; quando autem veniam dedit vel commisit cum respectu ad voluntatem resignaturi, v. g. si hic in conscientia putet se habere causam, rectè dicunt manere locum poenitentiae: Addit *Lott.* semper supplicari posse pro aliter instituenda resignatione: Putant etiam *Paris. & Pirb.* post veniam renunciandi coram Papa dari locum poenitentiae: exceptis Episcopis & beneficiis consistorialibus. Vide *Lent. q. 264.*

971 §. III. Quamvis resignatio in favorem fit apud Papam admessa, signata per, *fiat, ut petitur*, registrata; imò & resignans jurarit se non revocaturum, tamen datur locus poenitentiae, tum quia imbibit hanc tacitam conditionem, si supplicantes in eadem voluntate permaneant, tum etiam quia describuntur tantum à Notariis, & plerumque remanent in manibus supplicantium, qui lacerare possunt, hinc res est adhuc imperfecta, quia dum superest aliquid

agen.



igendum, nihil adhuc dicitur actum, ideoque præstitus hic consensus dicitur causalis & parvus, *Bursatt. Paris. Lott. Chok.*, qui tamen addunt, resignatarius cum consensu Papæ acceptasset, & jus suum cessisset alteri, resignantem non posse penitere. Si autem supplicationi signatæ per Datarium & registratæ præstitus sit à resignante in Camera vel Cancellaria consensus formalis & extensus, (potest enim is præstari vel in Camera vel in Cancellaria, *Paris. Leur. q. 698. n. 10.*) tunc non datur locus penitentia, quia *remittentibus actiones suas non est regressus dandus, L. Quaritur, §. si venditor, ff. de edil. edicto, & quod semel placuit, amplius displicere non potest, Reg. 21. Juris in 6.*, talisque illatio & variatio in ecclesiasticis prohibetur *Cap. Cum autem, de Jurepatr., Cap. Publicata, de Elect. Cap. Quidam, de Renunciat. Vide Leur. q. 270.* In omnibus autem beneficiis non consistorialibus, id est, quæ in consistorio Papæ & Cardinalium non conferuntur, necessariò debet in Camera vel Cancellaria præstari hic consensus extensus, cum juramento, quòd non intervenerit fraus, dolus, vis, metus, simonia: Neque nunc urget tempus, intra quod præstetur, uti docent *Lott. & Chok. contra Paris.*, qui putavit præstandum intra 15. dies à die submissæ per Datarium supplicæ; Vide *Leur. q. 265. 266.*, quæ circa hunc consensum extensum explicat *q. 267.*, an revocari possit vel priùs poni post expeditionem litterarum; item *q. 268.*, quomodo retrahatur ad diem primò datæ supplicæ, & an probanda sit illius existentia; item *q. 269.*, in quibus casibus derogari soleat Regulæ requirenti consensum extensum.

§. IV. Si Cajus resignarit in favorem Titii, pro quo jam expeditæ sint litteræ in forma gratiosa,



Cajo non datur locus pœnitentiæ; Vide *Luca* de benef. d. 38.; Si autem admissa sit per Papam resignatio & acceptata à Titio, qui tamen necdum iustificatis litteris in forma, *dignum*, moriatur, *Lott.* dicit Cajum non posse pœnitere aut redire ad beneficium, quia jam amiserat illius jus, secundum Cap. *Ex transmissa*, de Renunc.; & idem dicit, si Titius non reperiretur dignus, sed vide dicta n. 957. & *Leur.* q. 276. & 277.

973 §. V. Secundum *Gemin. Bursatt. Paris. Leur.* q. 271. potest ille pœnitere & ante collationem alteri factam repetere beneficium, qui inconsultò resignavit; item qui ex ira vel indignatione, *Dec. Boer. Paris.*; Id tamen difficulter admittetur, nisi statim improvidam resignationem revocet. Quòd si resignatio facta sit vi, metu vel dolo, maximè revocari potest, aut certè ab initio nulla est, arg. Cap. *Super hoc*, & Cap. *In presentia*, de Renunc. *Paris. Coras. Leur.* q. 272.

974 §. VI. Si resignatio habuerit effectum, non potest rediri ad beneficium sine nova provisione, quia fuit extinctus prior titulus, unde si ille, qui resignavit, beneficium recipiat, perdit prærogativam antiquitatis, *Paris.* Si autem resignatio non habuerit effectum ob non impletas condiciones, *Rota. Paris. Imol.* aliique cum *Leur.* q. 275. putant non esse opus novâ provisione, quamvis contradicant *Mascard. Selv.* & alii; Ratio est, quia quando resignatio non habuit effectum, jus non est amissum, secundum dicta à n. 956. Requiritur tamen declarationem Superioris *Vbert. Felin. Paris.*, quia quando possessio occupata est ab alio, non potest quis in illam propriâ auctoritate involare.

975 Q. 142. *Qua beneficia, ex cuius consensu & quomodo resignari possint. R.*